Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35268
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten



super hoc confectis plenius continetur. Presentes siquidem prefato executori ipsis litteris apostolicis instanter prout ex forma litterarum ipsarum potuit in huiusmodi negotio executoris procedens auctoritate apostolica sibi in hac parte commissa fecit super eadem prius processibus monitiones mandata inhibitiones reservationes decretis et excommunicationis suspensionis et interdicti sententias et alia sententia sicut in talibus fieri est consuetum prout et alia in quodam publico instrumento sigilli ipsius domini executoris appensione munito plenius continetur. Et licet nulla prebenda in eadem ecclesia tunc vacaret et eidem dictus executor ipsum seu eius procuratorem sui nomine auctoritate fecit recipi in ipsa ecclesia in canonicum et infrascriptum. Verum quia prout ad dicti executoris notitiam dicto referente pervenerit quod plebania dicte diocesis per obitum ipsius plebanie plebani vacat ad presens idem eandem dictam plebaniam se acceptasse dicens infra tempus legitimum. Ipsam plebaniam sic vacantem et acceptatam dummodo sibi et nulli alii debeatur cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate predicta in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum contulit et assignavit et providit de ea ipsumque per suum birretum investivit principaliter de eadem decernens etc. Verum si dicta plebania ut dicitur sic vacans dicto .. non deberetur. Dictus dominus executor reservavit sibi potestatem aliud beneficium nulli alii de iure debitum si in civitate vel diocesi predictis vacat ad presens vel cum vacaverit iuxta predictum mandatum apostolicum eidem conferendum et prout predicta omnia debitum sortiantur effectum. Dictus dominus executor. Verum viris rectoribus .. cuilibet in solidum sub excommunicationis pena quam ipsos et eorum quemlibet incurrere volt si ea que eis committit maliciose contempserint seu negligerint adimplere. Quatenus unus vel alter ipsorum qui super hoc a dicto vel eius procuratore fuerit requisitus alter alterum non expectans eundem vel dictum procuratorem pro ipso suo nomine in corporalem possessionem dicte plebanie per eundem dictum executorem eidem ut premittitur collatam et omnium iurium et pertinentiis ipsius auctoritate sua ymo verius apostolica inducant et defendant inductum facientes ipsum vel procuratorem suum pro eo ad illam plebaniam ut est moris admitti. Sibique de ipsius plebanie fructus etc. integre respondere. Contradictores et quosque rebelles per censuras ecclesiasticas auctoritate apostolica compescendo. In quorum omnium testimonium idem dominus executor prefatum presens publicum instrumentum scribi et publicari mandavit suique sigilli etc.

Collacio beneficii alterius presentacionis :—

Merita probitatis quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum igitur parochialis ecclesia .. per mortem vel rectoris eiusdem ad presentacionem

182.